



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. IV. Potentia in quibus consistat, & de eius capite, quod est auctoritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Nimis len-
ti in obsidio-
ne Sagunti.

Miserissima
auaritia
parua.

Semifaucij
pugnare co-
guntur, qui
integri no-
lunt.

Hec ille in laudibus Romanorum suorum, & mul-
tus, & verus. At vero si initio vel dimidiū curæ, sum-
ptuumq; impendissent, facile erat illis Hannibalem
profligare, imo Africam occupare. Capta Sagunto, a-
missis ad Ticinum, Trebiam, Thrasymenum, Can-
nas exercitibus, alienatis, captis, versis contra Roma-
nos vrbibus Italiae, vastatis agris, incensis villis, tum
demum serio pugnant, exercitus in Africam mittit.
Nonne hoc oportuit initio fecisse? Auditō Sagun-
tum obsideri, parare exercitum pro Hispania fortem,
ad excipiendum Hannibalem fortiozem, ad Africam
oppugnandam fortissimum; hoc rebus integris faci-
le erat, accisis arduum, sed tamen factum est. Maior
error Constantinopolitanorum imperatorum toto
tempore potentia Turcica crescentis, nunquā enim
serio restiterunt, sed corrigi tamen potuit circa tem-
pora obsidionis Byzantinae. Si enim vel decimam au-
torem expedere Palæologus voluisset, exercitum
ex regnis Christianis Turcico parem efficere potuisset;
sed defosso incubabant auro, quo deinde non
modo exuti sunt, sed multi etiam ad indicandum
tormentis concili. Nec minor error Christianorum
regum; sex millia Græcorum militum, tria Veneto-
rum, & Genuensium erant, in portu naues septem
Genuensium, tres Cretensium, & aliquot ex Chio,
classis Veneta spectatrix erat, & omnes principes
Christiani, qui deinde suæ negligentia magnas pœ-
nas dederunt, amissis tot regnis. Tum vero si singuli
reges, tres; singuli principes, vnam nauem; singulae
vrbes, duos milites auxilio misissent, Græciam, Ma-
cedoniam, insulas, Vngariam teneremus. Sed eodem
in errore pergitur, nec tempestiue partem opum ar-
cendo hosti damus, mox omnia daturi. Quam lenta,
accisa, nec sine duris conditionibus subsidia bello
Hungarico ante annos aliquot decernebantur? (de
illis qui clam cum Turca conspirabant non ago.) Ne-
que tamen nunc quisquam dubitat, quin occupata
Pannonia, immisissq; in Germaniam Heidonibus,
cæterisque Vngaris, omnes de omnibus fortunis &
libertate dimicaturi simus.

Si enim potentia necessaria modo pro limitaneis
principibus non conficitur, illorum prouinciis oc-
cupatis, per raptas opes, & victas gentes nos oppri-
ment; nec illa in nos mitiores erunt, sed negati auxi-
lij pœnas exigent, & quæ primum scutum erant Ger-
manici imperij, incipient esse spinæ in lateribus no-
stris. Hac generatim de potentia necessitate, vsuq;
iusto, & tempestiuo sufficiant.

CAPVT III.

Potentia duplex: domestica, ex- terna.

Potentia
duplex.

§. 1. **D**UPLEM potentiam distinguunt politici,
domesticam, & externam. Domestica est
contra seditiones, conspirationes, rebelliones ciui-
um, quæ sunt contra Rempublicam, principem, se-
natum, aut partis alicuius contra alteram partem.
Externa contra vicinas Respublicas, aut reges ad vim
propulsandam, aut inferendam.

§. 2. Non potest esse firma potentia contra ho-
stem externum, nisi sit etiam contra internum. *Omne
enim regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra do-
mum cadet.* Tantum enim valet contra hostem ciuitas
vnita. Quocirca Romani, qui semper domi imbelles
fuere, si periculum ingrueret, dictatore facto omnes
in ordinem redigebant. Verum hac de re egi, cum de
Monarchia, deque concordia tractarem.

Domestica
potentia dif-
ficilior.

§. 3. Domestica potentia difficilius acquiritur, ser-
uaturque, quam externa. Quia multo facilius inue-

nias, qui hostem vincat, quam qui ciuem regat. Ho-
stis enim robore, stratagemate, ira, vigilantia, fraude
superari potest, cuius non nisi prudentia & virtute re-
gitur.

§. 4. Hinc nulla est potentia domestica, nisi timea-
ris, & ametis. Timeri necesse est, quia amore nemo
officium faciet, si ipse se magis amet; vnusquisque au-
tem sibi magis conciliatus est, quam alteri. Cum igitur
se res dabit, vt suo periculo, sumptu, labore tua
prosperitas querenda sit, à se quisque charitatem in-
choabit, & principem postponet. Amari tamen ne-
cesse est. Si enim in periculo sit princeps, senatus, res-
publica, nemo metuet; nec enim timemus eos, qui
sibi timent, & magnis in rerum difficultatibus ver-
santur: cum igitur per contemptum est sublatus me-
tus, si non fuerit amor, omnino deferent, quem
nec amant, nec metuunt, & si forte oderunt, perse-
quentur.

§. 5. Mihi si vera libere proloqui necesse est; Vi-
detur stultissima omnium cogitatio, qui potentiam
ambiunt, nam si ad publicam tantummodo salutē,
aut diuinam gloriam potentes esse cupiunt, vt bonos
tueantur, improbos compescant, regium animum
laudo; quia iustitia vitam impendit. *Omnis enim po-
tentia brevis vita.* Ecclesiastici cap. 10. v. 11. Pauci prin-
cipum non Christianorum à suis tuti fuerunt, pleri-
que occisi, nullus omnino, qui modo gustant im-
perium, qui non insidias multas, conspirationesque
pertulerit. Quod ego multis demonstraui, nunc
itaque de potentia acquirenda, augendaque pertra-
ctemus.

CAPVT IV.

Potentia in quibus consistat, & de eius capite, quod est auctori- tas.

§. 1. **V**IRES Reipublicæ in pietate, & virtutibus
consistunt. Deinde in illis quæ virtutes con-
sequuntur in principatu. Quorum primum est au-
thoritas, seu fama & maiestas, deinde amor ciuium.
Tertio, opes, arma, viri, arces, vrbes; hæc enim pru-
dentissimi regum ad præsidia subditorum institue-
runt. Nunc de auctoritate agamus.

§. 2. Auctoritas cum preesse apud Romanos acci-
pitur, est iudicium senatus, cum vel ob paucitatem se-
natorum, vel tribunitiam intercessionem, aliamue
ob causam senatusconsultum fieri non poterat, Græ-
cum nomē habere negant; nam *ἀὐθεντία* maius quid-
dam est, & *ἀὐδία* plus quam auctor. quandoqui-
dem, & in iure ciuili, & in communi sermone *ἀὐδία*
dicuntur ea, quæ non semiplenam auctoritatem ha-
bent; seu quæ à summo magistratu confirmata, & ra-
ta sunt. nam reuera *ἀὐδία* in iure, si non sit *ἐκ τῆς
ἀὐτεξουσίας* ex plena potestate, inanis est: perscriptæ
enim auctoritatis nulla hodie est, vt ita dicam, aucto-
ritas.

Auctoritati affinis est maiestas, non enim stricte
de maiestate agimus, quæ quinque capita amplecti-
tur, ius legum ferendarum, antiquandaru, belli & pa-
cis; tributorum, monetarum; conferendorum ma-
gistratuum. Sed auctoritatem, & maiestatem prin-
cipis pro eius æstimatione, fama, & vt nunc loquuntur,
bona reputatione accipimus, quæ quidem contem-
ptui opponitur, sed tamen plura complectitur, amo-
rem, famam, laudem, timorem, reuerentiam, & bo-
na quibus ista gignantur. Est vero potentissimus ille
princeps, qui subditos suos potestate paternæ, alie-
nos fama & exultatione addictos habet.

§. 3. Fa-

Domestica
potentia fun-
damentum
amor & ti-
mor.

Sibi poten-
tiam opta-
re dama-
bile.

Auctoritas
magnum
adiumentum
Reipublicæ.

Dignitas
est virtus
superior.

Maiestas
principis
vera.

§. 3. Fa-

Principi fama curanda.
§. 3. Famam etiam priuatus qui negligit crudelis est, princeps vero tam famam quam salutis suae custos est. Vere in hanc sententiam dictum; Regnantis facultas tunc fit ditior, cum remittit, & acquirit thesauros fame, neglecta vilitate pecuniae. Et Augustinus. Qui fidens conscientiae suae famam negligit crudelis est. Nam reuera Homicidij genus est famam impetere, qui vero Reip. famam corrumpit, crimine maiestatis tenetur. Fama igitur sollicitus sis oportet, si principem agere delectat. Non est laus culpanda, sed propter eam operari, inquit Hipponeus antistes, at ego tibi, o princeps, hunc scrupulum eximam. Principi operandum est etiam propter laudem, non ut in re inani listat, quorsum enim tam magnus umbram caperet? sed ut fama bona ad populi salutem vtatur. Si enim pecuniam conquirere, homines occidere ob publicum bonum possumus, cur non & in eum vsum famam quaeret princeps? Ager laudando non fit melior, & umbram corporis comes non facit illud tutius; sed fama tam saepe sola principem tutum, & saluam Rempublicam efficit.

Plura opinione, quam re geruntur. Quid enim si de te tanta opinio, ut praesentia praedia disples, ut inimicus lacessere non audeat? ut solo terrore bella coficias? Cum Curiones, & populares regum & optimatum vitae obtrestando Rempublicam labefactent, & euertant, cur tu eam tua laude non seruabis? Nec clam est principum famam odiorum flammis amburi, inuidiae nube obscurari; semper enim sunt, quos necessario princeps offendit, qui bene de eo, cui merito se irasci putant, loqui non solent; Laborandum est itaque Principi, ut fama publica voculas priuatum opprimat. Celerrime paratur, amissa non reacenditur, semel firmata etiam contra vitia perdurat. Salomon opinione sapientiae regnum iam degener tenuit tamen, & si Roboam prima regnandi praepia discere voluisset, filio quoque integrum tradidisset. Est fama virtutis comes, Dei beneficiu, cuius respectu fere regna dantur, & auferuntur. Cura enim maiestatis tam ad virtutem pertinet, quam politia, quae sine maiestate esse non potest.

Fama necesse sit.
§. 4. Amplitudinem igitur suam, celsitudinemque quam Graeci *συμφορην* vocare consueuerunt, tueatur; & augeat princeps, ut re ipsa sit *σεβαστος*, haec enim dignitas Reipublicae sine incolumitatis dispendio non tollitur; nisi enim sit animis obtemperantem in sita veneratio maiestatis, & opinio principem ea dignum esse, iam opinione maius vulnus ciuitas accepit: mox enim personabunt illae voces: Num saluos facere nos poterit iste? ita nec saluum eum cupiunt, cum morte eius res suas meliores fore sperent, nec pericula pro eo subeunt, cum se illi praeferrant. Omnibus modis ita sit affabilis, ut tamen seruet dignitatem, modo ne sit sub dignitatis nomine tumor. Qui in illis est, qui per suas, alienasque clades ad inanem gloriam grassantur, de quibus alio dixi loco, qui propter pauca lauri folia integras delere gentes non exhorrescunt.

Dignitas est salua.
Dignitatis vendit cura est vicina superbia.
Fama virtutis para-
tur.
§. 5. Famam autem potentiae, quae pene tam necessaria est, quam ipsa potentia, parabis illo, quem hoc libro tradam, modo, ut scilicet, quae conquisitis in publicum, sint nota. Conscientia te quietum, virtus bonum, fama optima notum, venerabilemque faciet. Primum igitur est, ut vita sit talis, qualem desideras famam; quia ut velis aliam videri, aliam esse, difficile est in principe, qui est in conspectu multorum, & si forte aliquando aliquos, nunquam omnes decipiet, Hinc nullius improbi diu bona fama fuit. Magnum frenum est male actus fama, cum leges negliguntur. Pluris famam Alexander quam gesta sua fecit, sed tamen quam magnam, tam malam consecutus est. Quid non fecit Augustus ad famam, ingenia sui seculi omnibus modis fouit, componi tamen aliquid

de se, nisi serio, & a praestantissimis offendebar, ut refert Tranquillus. sed tamen quid effectum? Illa praestantissimorum de Augusto elogia perierunt. de vitis eius & probis plura superfluit. Ad principem itaque pertinet etiam haec famae pars, virtutem colere, famam non ambire, nisi qua salutaris est patriae; tam enim inhonestum est virtutem gloriae, quam voluntatum esse seruam, nisi per gloriam patriae seruiat, aut Deo. Necprobo Themistoclem quem Miltiadis trophaeum excitabat, mallem id faceret amor ciuium, sed quia procul ille erat a vano pectore, incitatur ad pericula a trunco, qui non poterat ab Athenis virtutum alticibus. Fugienda est etiam haec ipsa substantia gloriae, pusilli animi nota, qua se Traianus, non inter malos alioqui numeratus Imperator, contemptibilem fecit, praeceps enim aedificijs vtcunque restauratis nomen inscribebat suum, adeo ut non immerito herba parietaria magni Imperatoris iudicio dictus sit. Hoc igitur famae est fundamentum, quemadmodum & imperij, sine famae mercede virtutem sequi, nec aliter famam, quam publicae salutis instrumentum sectari.

In fama querenda errores.
§. 6. Hanc apud domesticos, exterisque existimationem diuina prouidentia conciliat. Est enim donum Dei, ut omne genus potentiae, ita haec quoque pars, quae in aliena opinione consistit. Hac Deus seruum suum Abrahamum inter ferocissimas, robustissimas gentes communije; dicebat enim illi populus Heth. Princeps Dei es apud nos. Sic Israelitae post eadem Sichimorum tutatus est, Gen. 35. Cumque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes. Sic & Josue inualuit c. 5. 1. Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhaeorum, qui habitabant trans Iordanem ad occidentalem plagam & cum illis reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quod siccaisset Dominus fluenta Iordanis coram filiis Israel, donec transirent, dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus timentium introitum filiorum Israel. Sic Josaphat tutus fuit, 2. Par. 20. 29. Irruit autem pavor Domini super vniuersa regna terrarum, cum audissent, quod pugnasset Dominus contra inimicos Israel. Quienitque, regnum Josaphat, & praeiuit ei Deus pacem per circuitum.

E contrario destituta Dei praesidio regna maxima, regesque in perpetuo metu vixerunt; Vel Romanum imperium a pice, domi insidia, foris bella, miserrimae gentes Triballi, Thraeces, aliaeque carperunt: nunc Turcicum imperium, Haidones, Colacci, Arabes, Cilices, Piratae deuastant. Babylonium imperium, atque adeo caput gentis, mundi miraculum Babylonem aggressi sunt Persae, gens haecenus serua & rusticana; Persas iam in fastigio positos deturbant Macedones gens foeda, & non nisi de contemptu nota, nisi quod Philippo rege, latrocinio, & fraude creuerat.

Virtus sine mercede colenda est.
§. 7. Ut aestimationem suam quoque princeps tueatur, magnopere conferet, ita iudicare, ita leges ferre, ne quid retractet, qua in re Justinianus, quantumcunque profuerit, sibi magnopere obfuit, cum eius iurisconsulti leges figerent, & refigerent. Deinde in publico semper grauius & pro dignitate agat: valde enim ad auctoritatem confert, cum magnates, quos populus miratur, & suspicit, tam humiliter principi seruiunt. Tertio. Raro vel in publico, vel in senatu, vel etiam in priuato concilio, nisi meditato loquatur; ita tamen ut superbia, & stuporis opinionem non incurrat. Ne Pallantem ex nequissimo seruo superbissimum dominum imitentur, qui nulli domesticorum loqui dignabatur, nunquam domi quicquam nisi nutu, vel manu significauit, vel si plura demonstranda essent scripto, ne vocem sociaret. Quarto. Si vultu non sit venerabilis, id agat tamen ut semper serio sit, nunquam in risum facilis. Quinto. Vox grauis, iocus, nisi acutus, nullus, vestis sine cura, preciosa infra modum

dum dignitatis. Incessus grauis, tardus; vectio cum austeritate, ut & in ministris sit maturus omnium agendi modus, non inordinati discursus. Sexto. Familiares intimos habeat paucos, quibuscum iocetur, arcana promat, idque caute; nam plerique talium, vel indicant alijs, glorianturque de familiaritate principis, & inuidiam sibi, principi imprudentiae opinionem conciliant; maxime si boni non sint, & rara est ea felicitas, ut bonos multos circum se habeant. Attalus Rex imagines ex longinquo spectandas dicebat; & sane raritas admirationem parit, satietas familiaritatis minus verendos facit. Septimo. Magnopere caueat, quod pauci etiam boni principes cauerunt, ne ab uno, alteroue regi videatur. Hunc enim pro principe venerantur, principem pro statua habent. Hinc odium omnium regum in illos reges, Seianum, Plautianum, & quos nostro tempore potentiae poenas dedisse videmus: quidquid enim administratur etiam recte, odiosum optimatibus est; quia auctor consilij inuisus est. Octauo. In legationibus quoque recipiendis splendida sit modestia, ut videatur luxum fugere, dignitatem amare. Mulierculum est toto thesauro lucere. Augustus consuevit vestire, & habitatione contentus erat, Alexander Severus gemmas vendidit, quod diceret, in virtute, non decore imperium esse. Thesauros nullo modo legatis aduenis ostendet: nam superbiam interpretantur, & inuidiam concipiunt, si ingens sit, si mediocris, contemnunt. Et principem stultum arbitrantur, qui parua magni aestimet.

CAPUT V.

Diuitias Principi querendas esse.

Principi honeste opes querendas.

§.1. **A**VARVM principem, iam supra cum liberalitate agerem, detestatus sum, nunc quoque eum detestor: sed tamen prouidum, & benenummatum requiro; imo vnam ex primarijs principum virtutibus esse affirmo, diuitiarum cumularum industriam; nec parum delinquant, qui eam gubernationem instituunt, ut ararium semper vacuum sit. Hoc igitur nunc mihi ostendendum est, primum, ac sanctum id esse, principisque & Reipublicae officium, ut sequentibus deinde disputationibus de ratione colligendi opes tractare possim.

Diuitia publico necessaria.

§.2. Initio hoc tanquam fixum, ratumque statuo; Non probandos diuites, qui desiderijs vastantur, cupiditatibus dissipantur, timoribus cruciantur, tristitia contabescunt. haec enim hominum vitia sunt, tam in paupere, quam mediocri, & diuite. Sed diuitias principi, & Reipublicae necessariae assero; Donum Dei sunt, ut docet Augustinus, gratum cum datur priuatis, necessarium, cum principi. Itaque & illas propter supplementa necessitatis, ut loquitur Augustinus in Pl. 66. desiderabit princeps. Ad formicam mittitur piger, & tempestiuus laboris admonetur, ne hyeme esuriat, quo mittenda est Respublica, ne se deserat? Habentes pecuniam non peccant, sed nimium amantes. Imo tanto tutius, & melius habentur, quanto minus amantur. Nec mihi opponant apostolicam comminationem. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem. Pro me enim respondet Augustinus. l. 1. c. 10. de ciuit. Profecto in diuitiis cupiditatem reprehendit, non facultatem. Nam quam priuati difficulter opes tenent, & non diligunt, Respublica tamen facilius ut instrumenta virtutis, & praedia defensionis usurpare potest; Nescio, inquit Augustinus, quomodo cum superflua, & terrena diliguntur, arctius adepta, quam concupita constringunt. Sed hoc ex eo est, quod pecunia priuatis ad sua desideria implenda petuntur, principi ad salutem Reipublicae.

Auauitia non opes danantur.

§.3. Regum omnium sapientissimos habemus ab orbe condito Dauidem, Salomonem, Josaphat, Ezechiam, Josiam. Opes Dauidis ostendunt ea, quae pro templo collecta sunt. 1. par. 22. 14. Ecce ego in paupertate mea preparavi impensas domus Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: auri vero, & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine: ligna & lapides preparavi ad vniuersa impendia. De eius Thesauro multiplicibus. 1. par. 27. 25. Super thesauros autem regis fuit Azmod filius Adiel. his autem thesauris, quierant in vrbibus, & in vicis, & in turribus, praesidebat Ionathan filius Ozia. Ecce 1. thesauri regis, 2. in vrbibus, 3. in vicis, 4. in turribus. adde agros, & pecus. Ecce regem tot thesauros possidentem, nec avarum tamen, imo liberalem, masetum, qui canere coram Domino consueuerat. Beatus, qui intelligit super egeum & pauperem in die mala liberabit eum Dominus. Nam thesaurus egenis, pauperibus, toti populo seruabatur.

Liberale Dauid, & diues.

De Salomone frustra pauca dicuntur, quia multa passim habentur. 2. Reg. 10. 26. Congregauitque Salomon currus & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum.

Et 2. par. 9. dicitur fuisse ditior vniuersis regibus, & praebuisse tantam copiam argenti in Ierusalem quasi lapidum.

De Josaphati diuitijs supra dixi, deque eius exercitu.

Ezechiae diuitias Scriptura praedicat, 2. par. 32. 27. Ezechias fuit autem Ezechias diues, & inclutus valde, & thesauros sibi plurimos congregauit argenti, & auri, & lapidum pretiosi, aromatatum, & armorum vniuersi generis, & vasorum magni pretij. Apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & praesepia omnium iumentorum, caulag, pecorum, & vrbes edificauit sibi: habebat quoque greges ouium & armentorum innumerabiles, eo quod dedisset ei DOMINVS substantiam multam nimis.

Iosias diues.

Josiae quidem pietas, & zelus magis probatur in Scriptura, quam opes, diuitem tamen fuisse ostendit potentia, qua omnes abominationes sustulit de terra, atque ipsa ex celsa, quod nemo regum haecenus fecerat. Et phae tale restituit, quale nunquam fuerat, in quo ipse de substantia regis dedit triginta millia pecoris, & tria boum millia. Nec exiguum est signum potentiae, quod Pharaoni Neco contra Assyrios pergenti occurrat; nam sine dubio Necoanis exercitus, quem contra potissimum regem ducebat, ingens erat, nec tamen eo se imparem Josias putabat, & forte vicisset, nisi Dominus expeditionem improbasset. Tantos viros rerum male gestarum accusare dementia est, multumque aberrant, qui regum esse putant aurum dare, non feruare. Dandum est, & seruandum, vtrumque necessarium est. Sed cum ratione dari non potest, nisi seruetur. Quod si tamen hos arguere libeat, quid Iosepho faciemus? qui immensis redditibus regiam Pharaonis intruxit; nam & pecuniam accepit, & pecora & agros, ac deniq; quintam annuarum frugum partem. Cur tanta opum abundantia regem intruxit? si ex arte regnandi non erant illae diuitiae? Ego vero arbitrator, omnem Romanorum redditum publicum exiguum esse partem opum Pharaonicarum, si frugum omne genus spectetur. Nam primo in terra Gessen virorum habitabant sexcenta millia, illiq; Israelitae erant, totidem fuerunt Aegyptij, vt in vniuersum fuerint duodecies centena millia, totidem adde feminas aui maturi, erunt vicies & quater centena millia, quem numerum ex pueris, & puellis tenera aetate, & seruitijs duplicabis, ut sint in sola Gessen quadragies & octies centena millia, cuius pars quinta fuerit minimum nouie centena millia, quae ex solius terrae Gessen quinta parte Pharaon alere potuit. Si enim tota terra toti populo sufficit, ergo & pars quinta quintae. Imo plurimum tritici efferebatur in vicina

Ioseph rem publici diuitie fecit.

Cup rel di su ci di qua tur.